

*118. Instrumentum venditionis di Colella
Garaguso in favore di Nicola Zappa*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*118. Instrumentum venditionis di Colella
Garaguso in favore di Nicola Zappa*

1423-05-13

(c. 326v) In nomine Dei eterni et salvatoris nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate eius millesimo quatricentesimo vicesimo tertio, regnante serenissima domina domina nostra Ioanna secunda Dei gratia Ungarie, Hierusalem et Sicilie, Dalmatie et Croatie, Rame, Servie et Galicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque regina, ducatus Apulie, principatus Capue, Provincie, Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum vero eius anno nono feliciter amen, die tertio decimo mensis maii, prime inditionis, apud civitatem Potentie.

Nos Ioannes de Cichono de Santo Martino, habitator ditte civitatis, ipsius civitatis annalis iudex, Salvator de Exaelque de Diano, incola ditte civitatis, publicus per totum regnum Sicilie regia autoritate notariuset testes subscripti ah hoc vocati specialiter et rogati, presenti scripto puplico venditionis instrumento fatemur, notumfacimus et testamur quod preditto die constitutus in nostri presentia Colella Garaguso de Potentia, non vi, dolo, metu ductus, ut dixit, nec aliquibus suasionibus circumventus, sed sua gratuita et spontanea voluntate, sicut sibi utile, gratum et expediens visum fuit, vendidit, alienavit et per fustem <sic> traditionem corporaliter assignavit, iure proprio et in perpetuum, domino Nicolao Zappa de ditta civitate Potentie, ibidem presenti, pro se et suis heredibus et successoribus ementi et recipienti, terram unam suam sitam et positam in territorio ditte civitatis, in loco ubi dicitur la Cerza de li Gratiani, in fine ab una parte vinea Angilelli Stacconi comuni quintana mediante, ab alia parte terra Sante Marie Annuniate de Potentia comuni limite mediante, ab alia parte vinea Iacomini de la Manca quintana vicinale

mediante, ab alia parte via seu quintana publica // (c. 327v) et si qui alii sunt confines, francam, liberam et exemptam ab omni onere servitutis; et dittus venditor prefatum emptorem in corporalem possessionem ditte terre coram nobis, ut supra, per fustem induxit ad verum dominium et proprietatem ipsius emptoris et heredum eius et successorum ad habendum, tenendum, possidendum, dominandum, vendendum, donandum, permutandum, nec non et quocumque modo voluerint dittus emptor et sui heredes alienandum, cum viis suis omnibus sibi spettantibus et pertinentibus quovis modo; pro qua venditione dittus venditor coram nobis confexus fuit et suo iuramento firmavit et contentus se tenuit habuisse et manualiter recepisse a ditto emptore, nomine pretii, in carlenis argenti, sexaginta per unciam et duobus pro tareno quolibet computatis, unciam unam et tarenos viginti usualis regni ponderis generalis, totum silicet pretium venditionis ipsius; promittens dittus venditor per se suosque heredes ditto emptori, pro se suisque heredibus recipienti et stipulanti, litem, controversiam vel questionem aliquam de ditte terra ullo umquam tempore non inferre nec inferenti consentire vel assentire, sed dittam terram cum omnibus iuribus, pertinentiis et proprietatibus suis eidem emptori, heredibus et successoribus suis ab omni quocumque homine et persona quacumque legitime defendere, guarentire, autorizare et disbrigare ac de evitione teneri // (c. 328r) suis sumptibus et expensis et dittam venditionem et omnia et singula supraditta et infrascripta firmam et firma ac ratam et rata habere, tenere et inviolabiliter observare, per se suosque heredes aut aliquos quovis modo, in iudicio vel extra iudicium, de iure vel de facto, aliqua occasione

vel causa, modo, ingenio seu trattatu, sub pena duplii pretii supraditti, medietate ipsius pene reginali curie seu alteri curie cuicumque ubi exinde fatta fuerit reclamatio seu querela et altera medietate ipsius pene ditto emptori et suis heredibus persolvenda, totiens quoties fuerit quomodolibet contraventum, me preditto notario publico tamquam persona publica pro parte ditte curie et ditto emptore a prefato venditore sollemniter stipulantibus penam ipsam; qua pena commissa vel non commissa, exatta vel non exatta seu gratiose remissa, presens nihilominus instrumentum cum omnibus que in se continet in suo semper robore et efficacia perseveret, cum refettione et integra restitutione omnium dapnorum interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento tantum ipsius emptoris et eius heredum et successorum, nulla alia probatione quesita, ita quod reduci non possit ad arbitrium // (c. 328v) boni viri, nec quomodolibet appellari vel aliter exinde reclamari. Et renunciavit super hiis dittus venditor, voluntarie et expresse, pro cautela ditti emptoris et heredum suorum, exceptioni doli mali, vis, metus et infattum, presentis non sic celebrati contrattus, exceptioni deceptionis et fraudis reique preditto modo non geste vel aliter habite quam superius continetur et est expressum, exceptioni non numerate pecunie, non solute, non boni eletti argenti, non habite, non recepte, legi resissorie qua deceptis ultra dimidiam iusti pretii subvenitur et generaliter omnibus aliis auxiliis et beneficiis omnium iurium atque legum et specialiter iuri dicenti generalem renuntiationem non valere et iuri per quod cavetur quod ditto iuri renunciari non possit, quibus et propter que ditta

venditio et scripti huius tenor et confexio ipsius possent in aliquo minui vel infringi; pro quibus omnibus attendendis, adimplendis et inviolabiliter observandis quodque preditta omnia et singula vera sint et in nullo vacillent, dittus venditor prefato emptori presenti et stipulanti, coram nobis corporaliter manu tatta prestitit iuramentum ad santa Dei evangelia. Et voluerunt ditti contrahentes quod si aliqua iuris solemnitas in presenti instrumento deficeret aut esset minus atta et scripta vel aliquid defettus apparuerit, // (c. 329r) quod tacite et expresse intelligantur in eo et totiens refici possit et emendari in eo omnis defettus, ad sensum et consilium sapientis <eligendi> pro parte ditti emptoris et eius heredum, quotiens opus erit, non mutata tantum substantia veritatis. Unde ad futuram memoriam et ditti domni Nicolai emptoris et ipsius venditoris preces et eorum heredum certitudinem et cautelam, fattum est exinde presens puplicum instrumentum per manus mei prefati notarii, signo meo signatum, mei qui supra iudicis et nostrorum subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum.

1

2

Quod scripsi ego prefatus notarius Salvator publicus ut supra qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui ipsumque meo solito et consueto signo signavi. † Ego Ioannes Cochittinus annalis iudexqui supra interfui † Ego domnus Lucas de Coffo testis interfui † Ego domnus Antonellus de Zaula testis interfui † Ego domnus

Così S qui, sotto Cochittinus

Così S per Excelcia, (da docc. coevi)

Iulianus de Paleonia pro teste interfui et me subscripsi †
Ego Antonius de Ballo testis sum † Ego Laurentius de
Populo testis sum

3

4

Così S qui, in docc. coevi Paldonia
Così S per? Barulo